

7. Quamvis non sit objectum electionis homo, per gratiam jam restauratus, i. e. in ipso lumine vitæ æternæ constitutus; est tamen finaliter credens, & per gratiam restaurandus, Hebr. XI, 1. 6. Joh. XVII, 3. 2. Petr. I, 10.

Pag. m. 38. Aphorismus 8.

Falsum est, quod dicunt quidam (Lutherani sc.) Deum decrevisse, omnes & singulos salvos fieri, si in Christum sint credituri, & in fide perseveraturi.

Est falsus & erroneus Nam

1. Lutherani sententiæ suæ in S. scriptura inveniunt præsidium, Tit. II, 11. Joh. III, 16. 18. Matth. XXIV, 13. contrarium non docente,

2. Tim. II, 19. Joh. XIII, 18.

2. Decretum Deo non tribuunt frustraneum & imprudens, qui feriam aliquod decretum suspendat a conditione, quam nunquam impletum iri, utut præsciat; Hebr. VI, 17. Jes. XLVI, 10. implere enim eandem posset, & vellet, si modo homo crederet, Rom. III, 3. 2. Tim. II, 13.

3. Fidem & conversionem libero corrupti hominis arbitrio non subjiciunt, cum, illas ante electionem prævisas esse, dicunt. Sunt enim mere gratuita dona, ex gratia in Christo homini lapsa fluentia, Eph. II, 8. 9. Act. XIII, 48. Rom. VII, 28. 29. 30. 2. Tim. I, 9.

CAPVT VI.

DE REPROBATIONE.

Pag. m. 42. Aphorismus 1.

Deus ab æterno ex lapsis hominibus quosdam absoluto decreto reproba-
vit, i. e. ad damnationem posuit.

Est falsus & erroneus. Quia

1. Deus non juxta decretum absolutum damnavit aliquos; sed finaliter incredulos, ac propria culpa ad interitum aptatos, Matth. XXV, 41. Marc. XVI, 16. Hof. XIII, 9.

2. Licet fecerit Deus etiam improbum ad diem mali; Prov. XVI, 4. Rom. IX, 17. 18. factum tamen hoc est, propter improbitatem ejus: si fuisset probus, fuisset gratus, Gen. IV, 7.

3. Figulus quidem dicitur, qui ex eadem massa, facit vas ad decus, & ad dedecus; Rom. IX, 19. 20. 21. non injustus tamen, sed justus est Deus, Deut. XXXII, 4.

A 3

4. Alio-